



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita B. P. Ignatii Qui Religionem Clericorum Societatis Iesv instituit

Ribadeneyra, Pedro de

Ipris Flandrorum, 1612

8. Ignatius socios sibi adiungit. Iter eorum Hierosolymam impeditur. Saluti se dedunt proximorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45048

Dominicana familia vir eruditus & pius. At ille doctrinam eius moresque, & libellum sacrarum commentationum Minoreſſe, vt diximus, compoſitum, quem exhiberi ſibi iuſſerat ita probauit, vt huius exemplum, illius permiſſu, ſibi deſcribendum curarit; denique integritatis ei & innocentiaꝝ teſtimonium, publici notarij chirographo & ſigillo munitum dederit. & hic ipſe fuit qui poſtea Romæ Ignatium grauiffimè cum ſociis accuſatum ſuo teſtimonio mira opportunitate defendit, vt ſuo loco dicturi ſumus.

CAPVT. VIII.

Ignatius ſocios ſibi adiungit. Iter eorum Hieroſolymam impeditur. Saluti ſe dedunt proximorum.

QVoniam verò in eam curam tota mente incumbebat Ignatius, vt adiutores & adminiſtros curandæ ſalutis animorum ſibi adiungeret, nihil fuit ei antiquius, quàm vt aliquos adoleſcentes aptos ad hoc munus & benemoratos eiufdem propoſiti ſocios ſibi adiun-

Socij
quos
Parisijs
colle-
git, vo-
taque
ab iis
edita.

adiungeret. Itaque Petrum Fabrum
Allobrogem, Franciscum Xauerium
Nauarrum, Iacobum Laynem Segun-
tinum, Alphonsum Salmeronem Tos-
letanum, Simonem Rodriguez Lusit-
tanum, Nicolaum Bobadillam Palen-
tinum commodè nactus est. Ad eos
accessere postea tres alij, Claudius
Iayus Allobrox, Ioannes Codurius
Ebredunensis, & Paschasius Broüetus
Ambianensis, collectisque omnibus
vniuersi numero decem fuerunt. Mir-
rum dictu quanta fuerit inter ipsos
animorum & voluntatum consensio,
quamquam diuersæ nationis homi-
nes, & Hispanis eo tempore Galli per-
mixti, quo duo regna grauissimo inter
se bello dissidebant.

Omnes erant laurea artiumque de-
corati insignibus, & in Theologia
studio versabantur. Decimo octauo
porrò Kal. Septemb. quo die Assum-
tionis Deiparæ memoria celebratur,
confessione peccatorum expiatis ani-
mis, sumtoque pane cælesti, in æde
suburbana montis Martyrum ob-
strinxere se voto singuli res humanas
abdicandi

abdicandi ad constitutam diem, & in
perpetua paupertate seruiendi saluti
proximorum, nominatim autem nauigandi
Hierosolymam, infidelium animos
Deo conciliandi, & ad eius
cultum adiungendi gratiâ, si quidem
Venetiis intra anni spatium soluendi,
vel posteaquam eò traiecissent, ibidem
commorandi facultas esset; sin
minus Romam adirent, & Pontifici
Maximo suam operam impensè ad
auxilium ecclesię proximique defer
rent. His rebus ita constitutis, sociis
emenso studiorum curriculo Venetias
iter indixit, vt eorum quorundam
confectis in Hispania aliisque viis
negotiis, inde rediens illos ibidem
ipse præstolaretur.

Iraque Parisiis discessit in patriam, In
quò cum peruenisset, nullis precibus Hispaniam
flecti potuit, vt paternam in domum profici
quam frater natu maximus familie ciscit.
princeps administrabat, diuerteret, tut.
cui nosocomium prætulit, victumque
de more ostiatim quæsiuit.

Plebem hinc Christianę doctrinę
rudimentis imbuere, sacrasque con
ciones

Quid
in Pa-
tria fe-
cerit.

Varia
edit
mira-
cula.

ciones ad populum habere institit, tanta frequentia, vt templorum exclusus angustiis in agrum prodire cogeretur, multique arbores ad eum facilius audiendum videndumque occuparent. Quanquam verò febris iactaretur corporeque esset infirmo, quauis tamen hebdomade iterum & tertio concionabatur, tanta vocis contentione vt trecentis etiam passibus & eò amplius distantium ad aures perueniret id quod ab omnibus quasi in miraculi loco ponebatur. Fructus autem respondit adeo copiosus, vt multi à turpitudine vitiorum ad honestam vitæ disciplinam reuocarentur, multaque præclara atque utilia ad leuandam inopum egestatem, & tollenda scelera decernerentur, vt non animis solùm, sed corporibus etiam prospiceretur; quo factum est vt totam breui regionem impleret & fama rerum mirabilium & pulcerrimarum amore virtutum. In iis enim sedibus Bastidum quendam nomine, multis annis comitali morbo laborantem curauit: duas item feminas, vnã quidem

quidem nobilem quam exulcerati
pulmones, tussis, macies phtisisque
extenuabat: alteram quam spatio
quattuor annorum spiritus malignus
afflarat, aliaque mirabilia permulta
prodigiorum loco habita, diuina vir-
tute perfecit. Quamobrem eum vt
virum sanctum suspiciebant omnes,
eiusque vestem religiosè attrectare
conabantur. Tandem ea prouincia
decessit omni viatico destitutus ac
precario victitans Pampelonam, Se-
guntum, Siquenciam, Toletum ad
agenda sociorum negotia peragrauit.
Inde Valentia nauim paratam con-
scédens, multis iactatus incommodis
Venetias tenuit, vbi socios, vti Lutetia
conuentum erat, opperiretur.

Sed quia dæmon apertas iam cum
eo gerebat inimicitias, prospiciebat
que ab eo sibi graue bellum immi-
nere, sicut alibi sic & Venetiis in inui-
diam vocauit, ministrorumque suo-
rum voce proclamauit, eum effigie ab
Hispanis ignominia causa publicè
cremata, ex iudicij incendio profu-
gisse. Sed ab his aliisque eiusmodi

Vene-
riis ac-
cusa-
tur, &
absol-
uitur.

C

crimi-

criminationibus Hieronymus Verallus Archiepiscopus Rosanus, qui tum apud Venetos summi Pontificis legatione fungebatur, posteaque in collegium patrum purpuratorum est cooptatus, Ignatium purgavit & innocentem absoluit. Itaque dum sociorum aduentum præstolatur, de solitis occupationibus nihil remittens; nonnullos sibi novos commilitones pios & eruditos adsciuit, quosdam viros nobiles è Senatu virtutum studiis informavit, omnibus denique quibus eius erat sanctitas spectata & cognita, cum signa impressa pietatis, tum iucundissimam sui memoriam reliquit.

Socij
Venc-
tiis
cōue-
niunt,
&
ægris
in hos-
pitali
deser-
uiunt.

Tandem socij Lutetia Venetias ap-
pulerunt anno CIO. IO. XXXVII. ante
diem 6. Id. Ianuar. multis laboribus
exerciti tum pedestris itineris longi-
tudine, tum anni tempestate incom-
moda. Sed omnes difficultates ac mo-
lestias freti cum ope diuina, tum ar-
dentes maiora pro Deo patiendi cu-
piditate superarunt.

Vt verò ad Ignatium nouis iam so-
dalibus auctum peruenerunt, quanta
dici

dici non potest inter sese gratulatione
complexi; Mox valetudinariis distri-
butis, agros quacunq̄ue potuerūt ope
recreare cœperunt. Inde Romam
profecti eadem qua Parisiis venerant
ratione ostiatim victu quærendo, &
per verne inedia tempus quotidianâ
ieiunii lege accuratè seruanda. Dein-
de fausta Pauli III. Pont. Max. preca-
tione, tum eius Hierosolymam nauis
gandi remanendique auctoritate mu-
niti, ad Ignatium qui Venetiis restite-
rat summa item rerum omnium ino-
pia regressi sunt. Ibi sacerdotio qui
sacerdotes non erant initiati sunt eo-
dem anno CIO. IO. XXXVII. D. Ioannis
Baptistæ natali die, cùm prius vota
paupertatis & castitatis ad pedes Se-
dis Apostolicæ legati nuncupauissent.
Porro dum constitutæ Hierosolymi-
tanæ nauigationi dies adesset, ne quid
abiret temporis sine fructu, in varia
interim Venetorum oppida socios
distribui placuit. Ignatius ergo, Pe-
trus Faber, & Iacobus Laynes Vice-
tiam profecti sunt, & in agri suburbani
deserto, semiruto, ventisque peruiso

Sacer-
dotio
ini-
tiantur &
per
Vene-
tam
ditio-
nem
distribui-
tur.

tuguriolo quadraginta diebus comorati, quo in loco Patres è Capuciorum familia sibi postea domum ædificarunt. Modicis stramentis humus tecta lectus erat: precarij panis frustulis vescabantur situ obducti magnoque labore quæsit, qui & aqua macerandus & percoquendus erat, vt in cibum esset aptior.

Hoc
solum
anno
mare
clausum
euntibus
Hierosolymam.

Labente vero die cum transmittendi Hierosolymam essent omni spe depulsi, celebriores academias Italix excolendas sibi descripsere: ipse vero Ignatius Petro Fabro & Iacobo Layne comitatus, Deo vocante, Romam adiuit ad iacienda illius Societatis fundamenta, quæ esset Dei gloriam per orbem terrarum adeo propagatura. Qua in re illud euenit mirabile, vt cum superioribus annis compluribus ante MD. ID. XXXVII. & sequentibus vsque ad LXX. naues peregrinorum in orientem soluere consuessent, eo dumtaxat anno clauderetur mare. diceres Deum Ignatio sociisque viam ad maiora præstruere quam ipsi vel cogitare vel mente cõplecti potuissent.

CA.